

Bibliothèque numérique

medic@

**Biendisant, Claude - candidat / Le
Vignon, François - président. -
Dantur-ne certa Virginitatis indicia ?**

1666.

***Paris : Ex Typographia
Francisci Muguet, Regis ac
Illustriss. Archiepiscopi Paris.
Typographi
Cote : ms 2322 n°109***



109 521

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPUTATIONIBVS

MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM

Die Iovis 23. Decembris.

M. FRANCISCO LE VIGNON, Doctore Medico
Scholarum Censore, & Præsidente.

Dantur-ne certa Virginitatis indicia?

I.

VIRGINITAS, virtutum omnium principium, expers est contagionis integritas: hæc duplex, mentis una, carnis altera, quid prodest integra caro corruptâ mente? Virgo dicitur quæ à maris conjunctione vivit illibata, cum proposito perpetuo abstinendi à venereâ delectatione nondum expertâ, licet multæ sint virgines, absit quæras; utinam aliquo pacto possent explorari, & pudoris incorrupti atque inviolatæ castitatis certa dari possent indicia: Frustra sponsus de virginitate sponsæ dubitat, frustra illam in jus vocat; quid apud parentes vel Iudices accuset? quid perat divortium, aut de desertione cogitet? non Iurisconsulti, non Medici, non ignaræ obstetrices in re incertâ dabunt consilium, fœminarum pudicitia & incorrupta castitas omni major dote venit æstimanda, quæ ut Sol sine luce, nunquam est sine pudore, & virgo dum intacta manet, tunc chara suis, si castum amisit pudorem,

nec pueris jucunda manet, nec chara puellis, mulieri nihil est salvi amissâ pudicitia, res tamen tenera quæ ut flos pulcherrimus citò ad levem marcescit auram.

I I.

MOS fuit ubi nupta primâ nocte cum marito erat concubitura, collum filo metiri, & postero mane si latius esset quàm ut eodem filo posset circumdari, eâ nocte pro certo deflorata fuerat virgo; sed signum ipso fragilius & tenuius filo: Non meliùs gagatis lapidis suffitus virginitatem deprehendit? an in potu exhibitus, urinam movet corrupta? Nonne succinum eodem modo exhibitum, virginitatem probat, & simile quid accidit, si portulacæ semina prunis inspersa, ad suffimentum substituantur? An ea est virgo, cujus urina si perfusa est malvæ aut urticæ, virides eas conservat; sic Achates gemma in pollinem redacta, si corrupta exhibeatur, vomitum movet? vel ex sonitu & exeuntis urinæ impetu aliquid possumus conjicere; an pinnae narium si sint patulae aliquid certi demonstrant; vel facies decolor, aut suo flore spoliata, aliquid indicat; saepe mentitur vultus color; is pulcherrimus quem ingenuus pudor gignit; an si cartilago quæ in apice nasi dividi se permiserit, & digiti tactu quasi scindi videatur, corruptionis est indicium?

I I I.

QVIS fidem adhibeat Democrito, qui à vocis mutatione corruptam agnovit virginem? Sunt-ne virgines quæ vocem consuetam retinent? an coitu vox acuta transit in gravem, sonora in raucam? an odor corporis post deflorationem mutatur in olentem qui referat hircinum? an sororiantes & horridulae mammillæ, quarum papillæ fragorum instar rubent, & circulus has ambiens pallet, notæ sunt virginitatis? an pili in pudendis mulierum crispiores in virginibus, lenes, longi, ac minime tortuosi erumpunt? an virginitatis signum partium muliebrium coalitus? an cervicis uteri latera nondum venerem expertis, quasi conglutinata manent, quæ primus disjungat & divellat

3
 concubitus? an virginibus uteri cervix rugosa maximè & angusta? an flos virgineus consistit in quatuor carunculis myrtiformibus membranis quibusdam coeuntibus, cario- philli nondum explicati, aut calicis parvæ rosæ semiexpan- sæ formam referentibus? an hinc flos dicta virginitas, & deflorare virginem pudicitiam expugnare significat? Certa- quæris virginitatis indicia? vis tutam servare virginitatem? illorum sequere mores, qui ut virginum suarum nullo mo- do suspectam haberent pudicitiam, puellis, ubi primùm natæ erant, pudenda consuebant relicto tantùm meatu ad urinam reddendam: Neque enim satis potest quisquam pu- dicitiam servare filiae suæ.

I V.

AN lintheamina in quibus novi conjuges concu- buerant, virginitatis sunt opima spolia & sym- bola? Hinc annosa mulier præ foribus expectabat an- tequam invitati discumberent & convivarentur? An si nihil sanguinis stillat ex primo coitu, reddenda parentibus sponsa, & invitatorum turba discedet impransæ? Heu se- vera lex, nec justa (quidquid dicant sacrae Paginæ) quæ non apparente tali signo, lapidibus sponfas obrui volebat: Neque enim quòd sanguis deficiat, suspicio aliqua adver- sus mulieris integritatem oriri debet: Nonne multis de causis desideratus ille non effluit sanguis? Nonne ætate la- xiores & duriores partes reddi possunt? Nonne menstruorum longa evacuatio partium symphysim & coalitum pau- latim corrumpit: sic penis modica magnitudo & rigiditas nullam lacerationem faciunt, nec in primo congressu exci- tant dolorem: Ipsæ corruptæ sanguinem possunt profun- dere, vel quia tempore coitus erumpunt menstrua, vel quia cervix uteri naturâ est angusta, vel viro penis est rigi- dus & mole magnus, aut mulier medicamentis adstringen- tibus cervicis uteri angustiam sibi conciliavit.

V.

HYMEN pro certo virginitatis signo, pro nuptia- rum Deo & Præsidente, nec non pro ipso hymno in vir-

4
ginum nuptiis habitus est. Hoc nomen impositum fuit sumptâ metaphorâ à tenui quâdam tunicâ, quæ virginitatis claustrum servare putabatur, hymen dicta, ut & eugium, flos virgineus, castitatis zona: Sic Græcis λυσιζωναι devirginatæ dicebantur puellæ, zonam solvere virgini, eam corrumpere significat; hinc fortè nova nupta cingebatur zonâ, quam primus solveret sponsus. Sunt qui hanc membranam merum esse figmentum volunt, si adsit præter naturam esse: quæ enim hujus necessitas, quis usus? Dantur quidem clausæ & imperforatæ virgines, sed morbus est in vitiosâ conformatione non naturalis illarum partium tunica. Contendunt alij rem esse naturalem, & in omnibus reperiri: Sed quænam sit hujus tunicæ substantia, quo loco sit posita? an uno aut pluribus foraminibus pervia, lis est sub iudice: Nobis eam liceat tanquam inutilem ac vitiosam rejicere, ut & affirmare nulla dari certa Virginitatis indicia.

Ergo non dantur certa Virginitatis indicia.

DOMINI DOCTORES DISPUTAVRI.

M. Ioannes Baptista de Revelois,
M. Fabianus Perran.
M. Edmundus Charrier.

M. Raphael Mauvin.
M. Ludovicus Gallais.
M. Franciscus Gœzel,
Chirurgia Professor.

M. Gilbertus Puyton.
M. Claudius Seguin.
M. Nicolaus Brayot.

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS BIENDISANT,
Aquensis, A. R. S. H. M. DC. LXVI.

Ex Typographia FRANCISCI MUGUET, Regis ac
Illustris. Archiepiscopi Paris. Typographi.